



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

XII. Martii. S. Gregorivs Magnvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

S GREGORIUS Magnus Rom. Gordiani Senatoris filius, adolescens Philosophiæ operam dedit, & prætorio officio functus, post mortem patris sex monasteria ædificavit in Sicilia, & septimum Romæ in suis ædibus nomine S. Andree ad clivum scauri: in quo Monachi vitam professus est, ac postea Abbas factus, mox Diaconus Cardinalis creatus. Constantinopolim ad Tiberium Constantinum Imp. à Pelagio Papa mittitur. Romam reuersus (Pelagio peste sublato) summo omnium consensu electus Pontifex, ne honorem illum acciperet, mutato vestitu, in spelunca delituit: vbi deprehensus indicio igneæ columbæ, Papa consecratur. Peregrinos quotidie ad mensam adhibebat, in quibus & Angelum, & Dominum Angelorum, peregrini facie accepit. Multos libros confecit; quos cum diceret, testatus est Petrus Diaconus, se Spiritum S. columbæ specie, in eius capite sæpe vidisse. Admirabilia sunt, quæ dixit, fecit, scripsit, decreuit, præsertim infirmâ semper & ægrâ valetudine. Quatuor Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, tanquam quatuor Evangelis honorem haberi voluit. Deniq; multis editis miraculis, Pontificatus anno XIII. mense VI. die decimo, IV. Idus Martij ad caelestem beatitudinem evocatus est; anno salutis DCIV.

De eodem S. Ildephonsus scriptum reliquit: *Nihil ei simile antiquitatem demonstrasse. Nam sanctitate, inquit, Antonium vicit, eloquentiâ Cyprianum, Augustinum sapientiâ: & alijs virtutibus excelluit. Et Synodus Toletana VIII. cum cunctis Ecclesie Doctoribus præferendum censet.*

Ex Breniario Rom. excerptum, cum additamento ex S. Ildephonso, & Synodo Toletana.



S. GREGORIVS MAGNVS PAPA E. D.
ORD. S. BENED.
*Qua vigilata DEO scribis dicente, Legenda-
Atque eadem nobis da facienda Later.*

Handwritten notes on the right edge of the page, including the name 'S. Bened' and Roman numerals 'III' and '5'.